



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola VII. Gregorii Papae I. Ad Amos Episcopvm Hierosolymitanvm. De
Petro acolytho fugitiuo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

Mense Nouembri, indictione prima.

EPISTOLA VII.

GREGORII PAPÆ I.

AD AMOS EPISCOPVM HIEROSOLYMITANVM.

De Petro acolytho fugitiuo.

Gregorius Amos episcopo Hierosolymitano.

CVM fraternitatem vestram confidamus Canonum statura & vigorem diligere disciplinæ, ne clerici nostri vobis ad euitandam distinctionem ecclesiastici ordinis falsitas surrepere valeat, eius culpam sanctitati vestrae indicare prospexit, vt sollicitudine vestra disciplinæ possit submitti quam refudit. Comperimus autem quod Petrus acolythus, quem dilectissimo filio nostro Sabiniano diacono responsa ecclesiastica facienti obseruare in urbe regia feceramus, fugiens ad vestram ecclesiam venerit. Quod si verum est, in tuto eum facere fraternitas vestra, & inuenta huc studeat occasione remittere. Aut si forte hoc metuens a vestra discesserit ecclesia, & per diuersa loca, ne comprehendi valeat, latitet, in omnibus parochiis vestris ut diligenter requiratur iniungite, & inuentum ad nos, sicut præfati sumus, transmittite: quem etiam volumus per vos, quia sit communione priuatus, agnoscere, nec dominici corporis ac sanguinis, quoisque ad nos redeat, audeat mysteria sumere, nisi forte vicino mortis insidente periculo.

EPISTOLA VIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD LEONEM EPISCOPVM CATANENSIVM.

De portionibus clericorum.

Gregorius Leoni episcopo Catanensem.

Ad hoc locorum gradus rationis ordo distinxit, & iudicia esse constituit, vt nec præpositi in opprimendos se frustra valeant occupare subiectos, nec subiectis iterum contra suos præpositos effrenata sit resultandi licentia. Et ideo quia post decimamquintam nuper indictionem elat-